Quelle: https://manuscripta.at/?ID=30611
Copyright: Heiligenkreuz, Zisterzienserstift

in qua bella et incendia intestina ecclesie sive dominus visibus figurisque revelare dignatus est. vii.
(Prima periocha.) autem videntur periochis divisa esse. In quarum prima post prefationem copiosam qua ad roborandam
fidem flagellum domini passiones et posteriores glorias enumerat. similem filio hominis ecclesia cernit indutum.
Qui commemoratis his que specialiter in vii. asie gesta vel gerenda sunt ecclesiis. generales totius ecclesie de-
scribit et palmas. Ubi vi. loco consulte subiciendos ecclesie iudeos. et temptationem orbi universo futu-
(Secunda periocha.) ram. sequi promisit cito esse venturum. Septimo autem tepidam ponit laodiciam. In secunda autem periocha descriptis
in sede domini iiii.or animalibus et xx. iiii.or senioribus. agnum videt. apertis vii. libri signati sigillis.
conflictus et triumphos ecclesie reserare futuros. Ubi iuxta consuetudinem libri istius usque ad sextum numerum
ordinem custodit. et pretermisso septimo. recapitulat. ac duas narrationes per ordinem secutus vii. con-
cludit. Sed et ipsa recapitulatio pro locis accipienda est. aliquando enim ab origine passionis aliquando a me-
dio tempore passionis aliquando a medio tempore aliquando de sola ipsa novissima pressura. non multo ante
(Tercia periocha.) dicta recapitulat. Illud tamen fixum servat. ut a vi. recapituletur. Tercia vero periocha sub specie vii.
(Quarta.) angelorum tuba canentium. varios ecclesie describit eventus. Quarta sub figura mulieris partu-
rientis et draconis eam persequentis eiusdem ecclesie labores et victorias aperit. vel utrique militie
premia digna rependit. Ubi vii. quoque angelorum dicta commemorantur et facta. et si prius non suff. Hunc enim
mistica sollertia numerum pene ubique servat cum et moris sit eiusdem iohannis in evangeliis quoque
(Quinta.) et epistolis nichil tepide et breviter dicere. Quinta autem periocha per vii. angelos. vii. plagis novissimis
(Sexta. Septima.) terram perfundit. Sexta dampnationem meretricis magne. id est impie civitatis. Septima ornatum
(De vii. regulis ticonii.) uxoris agni sancte videlicet ierusalem. de celo a deo descendentis ostendit. Septem quoque thiconii regulas
viri inter suos eruditissimi quibus ad intelligendas scripturas studiosi plurimum adiuvantur breviter
(Prima.) commemorandas putavi. Harum prima de domino et eius corpore est. quando accipitur ad corpus vel a corpore transitur
ad caput. et tamen ab una eademque persona non receditur. Una enim persona loquitur dicens. Sicut sponso impo-
suit mihi mitram. et sicut sponsam ornavit me ornamento. Et tamen quid horum capiti. id est christo quid corpori.
(Secunda.) id est ecclesie conveniat utique intelligendum est. Secunda est de domini corpore bipertito. vel potius de corpore domini vero
atque simulato. ut sancto augustino magis appellari placuit. Dicit enim ecclesia. Fusca sum et speci-
osa. ut tabernacula cedar. ut pelles salomonis. Non enim ait fusca fui et speciosa sum. sed utrumque se
esse dixit propter communionem sacramentorum. et propter temporariam commixtionem inter una retia piscium bonorum
(Tercia.) et malorum. Tabernaculum quippe cedar ad ismahelem pertinet. qui non est heres cum filio libere. Tercia est
de promissis et lege que alio modo de spiritu et littera. vel de gratia et mandato potest appellari. Hec augustino ma-
gna questio. magis quam regula. que adhibenda solvendis questionibus est. videtur. Ipsa enim est quam non intelli-
(Quarta.) gentes pelagiani. vel condiderunt suam heresim vel auxerunt. Quarta est de specie et genere. Species enim pars est
generis totius cuius ea pars est. sicut unaqueque civitas pars est totius provincie. et unaqueque provincia pars
est totius orbis. Unde et in noticiam vulgi verba ista venerunt. ut et ydiote intelligant quid specialiter
quid generaliter in quocumque precepto imperiali sit constitutum. Fit hoc etiam de hominibus. sicut ea que de salomone di-
cuntur excedunt eius modum. et potius ad christum vel ecclesiam cuius ille pars est relata clarescunt. Nec species
semper exceditur. Sepe enim talia dicuntur que vel ei quoque fortasse vel tantummodo aptissime congruant. Sed cum
a specie transitur ad genus. quasi adhuc de specie loquente scriptura. ibi vigilare debet lectoris intentio
(Quinta.) Quintam ponit regulam. quam de temporibus nuncupavit. Potest autem ut mihi videtur et de numeris appellari. Hac
tropo sinedoche. vel legittimus numerus urgere facit. Tropo sinedoche autem aut parte totum aut toto pars
(Quomodo accipiendi sint tres dies et iii. noctes quibus dominus iacuit in sepulchro.) significatur. Quo locutionis modo et illa de resurrectione domini solvitur questio. Pars enim novissima diei
qua passus est. nisi pro tota die accipiatur. id est adiuncta et nocte preterita. et nox in cuius parte ultima resur-
rexit. nisi tota dies accipiatur adiuncto scilicet illucescente die dominico. non possunt esse iii. dies et iii. noc-